



LATIN NYELVŰ LAP A TANULÓ IFJÚSÁG SZÁMÁRA

Prodit Budapesti, I. Verpeléti-út 22. decies in anno.
Pretium praesolvendi annum est pro Hungaria
3 pengő; pro exteris nationibus 4 pengő.

Megjelenik Budapesten, I. kerület, Verpeléti-út 22.,
tízszer egy évben. Előfizetési ára évi 3 pengő; kül-
földön 4 pengő.

Franciscus Herczeg.

Nuperrime attigerat annum septuagesimum aetatis Franciscus Herczeg, omnium scriptorum Hungarorum, qui nunc sunt, celeberrimus.

Iam a prima iuventute litteris¹ deditus¹ felicissimoque ingenio² praeditus brevi animos legentium in se convertit. Fama nominis eius in dies magis crescebat et per longam annorum seriem non modo intacta servata, verum etiam aucta est. Virtutes³ scriptoris nostri autem his proprietatis bus⁴ continentur. Prima est illa artificiosa venustas⁵ stili, qua homines erudit⁶ maxime capiuntur, tum mira varietas argumentorum,⁷ quibus imagines⁸ multorum

virorum magnorum ex quavis aetate historiae nostrae — a Paganis⁹ usque ad novissimam aetatem descripserat.¹⁰ Accedit, quod in omni fere genere¹¹ litterarum¹¹ excellentissime¹² versabatur.¹² Clarissimus auctor est enim fabularum Romanensium¹³ ac novellarum, sed similem laudem adeptus est tragediis aequae ac commediis componendis quoque. Est etiam virtus praeclara eius, ut et in eligenda materia et in fingendis¹⁴ personis vere Hungarus appareat, quamvis aliena stirpe¹⁵ or-



¹ az. irodalomnak szenteli magát ² tehetség ³ ki-vállóság ⁴ tulajdonság
⁵ szépség ⁶ művelt ⁷ tárgy
⁸ alak ⁹ a pogány kor ¹⁰ jel-lemez ¹¹ irodalmi műfaj
¹² jeleskedett ¹³ regény
¹⁴ jellemző ¹⁵ törzs.




tus sit. Nam haud facile inveniri potest, qui sensus¹⁶ et motus¹⁶ animi¹⁶ nationis tam lucide¹⁷ et luculenter¹⁸ eleganterque ostenderit, et bonas indoles¹⁹ eius imitandas proposuerit. Itaque merito inseritur²⁰ numero optimorum educatorum quoque, cuius opera non solum delectant, sed etiam ad omnes artes bonas stimulant iuventutem patriam amantem.

Pro his meritis omnes Hungari gratissimo animo celebamus diem natalem Francisci Herczeg ex imo pectore rogantes, ut Omnipotens Deus religiosissimum²¹ interpretem²² genii Hungarici diu servare eique aevum beatum ad multos annos prorogare²³ velit.

A. Friml.

¹⁶ érzés és gondolatvilág ¹⁷ világosan ¹⁸ hőségesen
¹⁹ tulajdonság ²⁰ soroz ²¹ áhitatos, bensőséges
²² tolmács ²³ meghosszabbít.



LECTORIBUS MINIMIS.

Lupus, vulpes, lepus, cornix.¹

Lupus, vulpes, lepus, intima² amicitia coniuncti semper unā in silvis, campis ambulabant. Olim cum ambularent, ad latam fossam pervenient. Convenit³ inter eos, ³ ut ordine⁴ fossam transiliant. Vulpes progeditur et ita fatur :

— Aures mihi breves, pedes longi, longa cauda, quam lata est fossa !

Et capto⁵ impetu⁵ currit, sed in medium fossam incidit.

Tum lepus ita fatur :

— Aures mihi longae, longi pedes, cauda brevis, quam lata est fossa !

Et fossam perfacile transilit.

Tertius venit lupus et ita fatur :

— Aures mihi longae, longi pedes, longa cauda, quam lata est fossa !

Et capto impetu currit, sed in medium fossam incidit.

Lupus et vulpes omni modo e fossa prorepere⁶ conantur,⁷ sed non possunt, quia fossa alta est.

— Ohe,⁸ frater lupe ! — ait vulpes, — iam mox hinc evademus.⁹ Ego in tuis umeris insistam¹⁰ et exsiliam, deinde longam caudam demittam¹¹ et te extraham.

— Hercle¹² optime — inquit lupus.

Vulpes in umeris lupi insistit et uno¹³ ictu¹³ temporis¹³ e fossa exsilit. Tum magnum cachinnum¹⁴ tollit¹⁴ et lupum relinquit.



Lupus flebiliter¹⁵ lamentatur.¹⁶ Repente advolat cornix. Lupus exclamat :

— Hei,¹⁷ carissima cornix ! Utinam ego quoque sic, ut tu, volare possem !

— Habe¹⁸ bonum¹⁸ animum¹⁸ — ait cornix, — ego te docebo, modo¹⁹ meam caudam apprehendas.

Cornix caudam demittit, lupus apprehendit. Cornix sublime²⁰ volat et lupum interrogat :

— Videsne adhuc terram ?

— Video.

¹ varjú ² benső ³ megegyeznek ⁴ sorban ⁵ neki-
 iramodva ⁶ kimászik ⁷ próbál ⁸ megállj ⁹ kijut

¹⁰ rááll ¹¹ leereszt ¹² bizony ¹³ egy szempillantás
 alatt ¹⁴ nagyon kacag ¹⁵ keservesen ¹⁶ siránkozik

¹⁷ hej ¹⁸ egyet se búsluj ¹⁹ csak ²⁰ magasra.

Cornix altius volat et rursus interrogat :

- Frater lupe, videsne adhuc terram ?
- Video.

Cornix altius etiam volat et tertium interroget :

- Frater lupe, videsne adhuc terram ?
- Iam non video.
- Si non vides, ergo mitte²¹ meam caudam : nunc iam scis volare.

Lupus caudam cornicis mittit et vento citius deorsum²² praecipitat.²³ Ut terrae appropinquabat, caudicem²⁴ conspicit.

— Curre, caudex, — clamat — quia te percutiām !²⁵

Sed caudex impavidus²⁶ in loco manet. Lupus superincidit²⁷ et omnia ossa eius minutim²⁸ franguntur. Val. Fehér.

²¹ elereszt ²² lefelé ²³ zuhan ²⁴ tuskó ²⁵ agyonüt
²⁶ félelem nélkül ²⁷ ráesik ²⁸ ízzé-porrá.

EXEMPLA CLARORUM VIRORUM

Inter Romanorum legatos, qui ad Pyrrhum venerant de captivis redimendis et commutandis, C. Fabricius fuit, vir bonus et bello insignis, sed admodum pauper. Pyrrhus eum benigne accepit et rogavit, ut munera atque aurum a se acciperet, quasi pignus hospitii et amicitiae. Fabricius cuncta repudiavit. Pyrrhus eum exterrere cupiens ministris imperavit, ut elephantum, cuius speciem nunquam Fabricius viderat, a tergo post aulaeum¹ admoverent. Quod ubi factum est, Pyrrhus et Fabricius inter se colloqui coeperunt. Repente signo dato remotoque aulaeo elephans fremitum eniſit et proboscidem² supra caput Fabricii minaciter movit. At ille placide subridens : «Non me — inquit — hodie magis commovet tua belua, quam heri aurum tuum.» Pyrrhus animi fortitudinem et gravitatem Fabricii admirans illum privatum invitavit, ut post pacem cum Romanis factam secum viveret. Cui Fabricius : «Hoc tibi — inquit — o rex, non expedit. Nam si illi, qui nunc tantopere te colunt ac mirantur, me cognoverint, fortasse optabunt, ut magis a me, quam a te regentur.»

(Plutarchus.)

¹ függöny, kárpit ² ormány.

Insula viperarum.

(2.)

Scripsit Carmen Sylva; Latine vertit Georgius Kaul, dr.

Ille mirans expergefactus est. Anguis tacens circum collum eius iacebat, quasi nihil dixisset. Iterum obdormivit et iterum susuravit Colubra : «Veni ad Insulam viperarum, fide¹ amica tua !» Iterum poeta expergefactus bestiolam contemplatus est item tacite circum collum suum iacentem et se prudenter adspicientem. Denuo obdormivit et tertium anguis «Vade», inquit, «mecum, non te paenitebit !»²

Tunc autem inter novissima verba experrectus est et Colubra tam mirabiliter, tam prudenti vultu eum spectavit, ut Ovidius haec secum cogitaret : «Cur Insulam viperarum non adeam ? Turpius ibi non erit quam hic et habebo commutationem³ vitae meae tam aequabilis.⁴ Pereundum erit mihi mortibus serpentium ? Quid ad me ? Liberatus saltem ero omnibus miseriis iisque⁵ in aeternum !»

Nave bonis remigibus instructa et victu complurium dierum comportata in altum provectus est. Haud sine laboribus ad insulam pervenit; nam Pontus Euxinus mutabilis est multo magis quam magnus Oceanus. Sic semper res se habet — parvi homines multo iracundiores et mutabiliores sunt quam magni et validi, qui non tam cito ira incenduntur et multo patientiores et clementiores sunt. Non multum afuit, quin poeta maestus puniretur, quod tam libenter de vita esset decessurus, et promisso stare congeretur. Nautae autem, quos minus, quam illum, vitae taedebat, cum saevis undis luctabantur valde indignantes rem susceptam. «Tot labores pro vasta insula venenatis bestiis plena !» secum murmurabant. Torvis⁶ et indignabundis vultibus spectabant poetam, qui quotienscumque seditionem veritus hominum placandorum causa reverti volebat, collo leniter presso monebatur; ut perferret. Saepius etiam parvulam caudam impatienser pulsare sentiebat et capitulum protendebatur semper in eandem partem spectans. «Ibi est insula !» viri denique murmuraverunt.

¹ bízzál ² nem bánod meg ³ változatosság ⁴ egyhangú ⁵ még hozzá mindörökre ! ⁶ zord.

«Ubinam?» inquit Ovidius, quippe qui nihil videret.

«Ibi, iste agger arenae, ibi est insula!» Poeta animo defecit, conspicatus aggerem arenae raris virgultis opertum, magis etiam propter indignationem suorum quam propter aspectum parum iucundum, nam tota illa regio tam turpis ei videbatur, ut locus paulo turpior animum eius minimè moveret. Sed anguiculus in collo eius paene saltare coepit, tamquam gaudio insaniret,⁷ et homini solitario placuit se unico animali, quod ei cordi erat, gratum esse posse. Postquam navem appulit, collum suum prehendit. At quantopere obstupuit⁸ nihil iam ibi sentiens! Colubra parvula aberat! Doloris plenus secum cogitavit: «Idcircone igitur ad insulam navigare volebas? An mei deserendi causa?» Graviter conquestus altam arenam ingressus est, cum remigibus polliceretur sese aquam eis quaesiturum esse. Illi autem, qui vinum comportatum multo iucundius putarent, paulo post omnes graviorer violenti⁹ somno oppressi sunt.

Ovidius gemens processit se tunc cuncta perdidisse ratus et, cum nemo eum videret, non puduit eum oculos suos lacrimis impleri. Ecce — fuitne lacrimarum candor? Occaecavitne¹⁰ eum sol? Eratne sanguis capiti suffusus? Saepius abstersit frontem et oculos, quos claudebat et rursus aperiebat, sed quotienscumque eos aperiebat, magis obstupestebat. Nam ante eum hortus quidam magicus exsurgebat umbrosis arboribus, strepentibus silanis,¹¹ laeto caespite,¹² papavere, myosotide,¹³ cuius per tenella folia solis radii perlucebant. Gradus marmorei ad mare ferebant; inter areas rosetis¹⁴ et myrtetis¹⁵ ornatas ambulare poteras. In platanis et castaneis quaesitissimae aves oscillantes¹⁶ aërem personabant concentibus, quibuscum ne lusciniarum¹⁷ quidem pulcherrimus cantus poterat comparari. Violae et resedae odoribus poetam graviter adflabant, sambuci¹⁸ et iasmina frontem eius mulcebant. Pauper vir solitarius in unum ex pulcherrimis hortis Romae sese translatum esse putavit et cor eius gaudio ita palpitavit,¹⁹ ut diruptum iri²⁰ videretur. At quid factum est de eo, cum subito miras effigies puellarum inter arborum truncos et

super caespitem volitare vidiit, quae summa felicitate sese complectebant, altera alteram capitabant, in longis cynosbatorum²¹ pampinis²² oscillabantur,²³ gradibus marmoreis in mare descendebant, ut ibi lavarentur, invicem aqua aspergebant! Ibi matronae Romanae, quas sibi notas esse putabat, longis peplis albisque velaminibus amictae incedebant, ibi viri togati et palliati, qui de rebus publicis studiose colloqui videbantur, sicut in ipso foro Romano. Sed priusquam eis appropinquare potuit, venustissima puella ei occurrit et familiariter adnuens manu eius comprehensa: «Nonne», inquit, «profecto me ignoras in hanc formam mutatam? En, sum tua parva Colubra! Modo comitare me, omnia tibi monstrabo».

⁷ ujjong ⁸ elámul ⁹ ittasan ¹⁰ megvakít, elhomályosít ¹¹ szökökút ¹² pázsít ¹³ nefelejts ¹⁴ rózsakert ¹⁵ mirtuserdő ¹⁶ ringatózik ¹⁷ füleműle ¹⁸ bodzafa ¹⁹ ver, dobog ²⁰ meghasad ²¹ csipkerőzsa ²² hajtásain ²³ hintazik.

EX AUCTORIBUS ROMANIS

Eutropii

Breviarium Historiae Romanae.

Liber septimus.

CAP. XI. Tiberius ingenti socordia¹ imperium gessit, gravi crudelitate, scelestā avaritia, turpi libidine. Nam nusquam ipse pugnavit. Bella per legatos suos gessit. Quosdam reges per blanditias ad se evocatos nunquam remisit, in quibus Archelaum Cappadocem, cuius etiam regnum in provinciae formam rededit² et maximam civitatem appellari nomine suo iussit, quae nunc Caesarea dicitur, cum Mazaca antea vocaretur Hic tertio et vigesimo imperii anno, aetatis septuagesimo octavo, ingenti omnium gaudio mortuus est in Campania.

CAP. XII. Successit ei Caius Caesar, cognomento Caligula, Drusi, privigni³ Augusti, et ipsius Tiberii nepos, sceleratissimus ac funestissimus,⁴ et qui etiam Tiberii dedecora purgaverit.⁵ Bellum contra Germanos

¹ hanyagság, közönyösség ² provinciává tette
mostoha flának ³ vérontással bemocskolt, szörnyűséges ⁴ tiszta tesz, tiszta mos, «mentesítette gyalázatától».

suscepit, et ingressus Sueviam nihil strenue⁶ fecit. Cum adversum cunctos ingenti avaritia, libidine, crudelitate saeviret, interfactus in palatio est anno aetatis XXIX., imperii III., mense X. dieque VIII.

CAP. XIII. Post hunc Claudius fuit, patruus⁷ Caligulae, Drusi, qui apud Mogontiacum⁸ monumentum habet, filius, cuius et Caligula nepos erat. Hic medie⁹ imperavit, multa gerens tranquille atque moderate,¹⁰ quaedam crudeliter et insulse.¹¹ Britanniae bellum intulit, quam nullus Romanorum post Iulium Caesarem attigerat, eaque devicta per Cn. Sentium et A. Plautium, illustres et nobiles viros, triumphum celebrem egit. Quasdam insulas etiam ultra Britanniam in Oceano positas Romano imperio addidit, quae appellantur Orcades,¹² filioque suo Britannici nomen imposuit. Tam civilis¹³ autem circa quasdam amicos exstitit, ut etiam Plautium, nobilem virum, qui in expeditione Britannica multa egregie fecerat, triumphantem ipse prosequeretur¹⁴ et consendentem Capitolium laetus incederet.¹⁵ Is vixit annos IV et LX, imperavit XIV. Post mortem consecratus est¹⁶ Divus appellatus.

CAP. XIV. Successit huic Nero, Caligulae, avunculo suo, simillimus, qui imperium Romanum et deformavit¹⁷ et diminuit,¹⁸ inusitatae¹⁹ luxuria sumptuumque,²⁰ ut qui exemplo Caii Caligulae calidis et frigidis lavaret unguentis, retibus aureis piscaretur, quae blattinis²¹ funibus extrahebat. Infinitam partem senatus interfecit, bonis omnibus hostis fuit. Ad postremum se tanto dedecore prostituit,²² ut et saltaret et cantaret in scena citharoedico habitu vel tragico. Parricidia²³ multa commisit fratre, uxore, matre interfectis. Urbem Romam incendit, ut spectaculi eius imaginem cerneret, quali olim Troia capta arserat. In re militari nihil omnino ausus Britanniam paene amisit. Nam duo sub hoc nobilissinia oppida capta illic atque eversa sunt. Armeniam Parthi sustulerunt legionesque Romanas sub iugum miserunt Duae tamen provinciae sub eo factae sunt, Pontus Polemoniacus concedente²⁴ rege Polemone, et Alpes Cottiae Cottio rege defuncto.

CAP. XV. Per haec Romano orbi execrabilis,²⁵ ab omnibus simul destitutus²⁶ et a se-

natu hostis iudicatus, cum quaereretur ad poenam, quae poena erat talis, ut nudus per publicum ductus furca²⁷ capiti eius inserta virgis usque ad mortem caederetur²⁸ atque ita praecepitaretur de saxo, e palatio fugit et in suburbano²⁹ se liberti sui,³⁰ quod est inter Salariam et Nomentanam viam ad quartum urbis miliarium, interfecit. Aedificavit Romae thermas, quae ante Neronianae dictae nunc Alexandrinae appellantur. Obiit trigesimo et altero aetatis anno, imperii quarto decimo, atque in eo omnis familia Augusti consumpta est.³¹

CAP. XVI. Huic Servius Galba succedit, antiquissimae nobilitatis senator, cum septuagesimum et tertium annum ageret aetatis, ab Hispanis et Gallis imperator electus, mox ab universo exercitu libenter acceptus. Nam privata eius vita insignis³² fuerat militaribus et civilibus rebus. Saepe consul, saepe pro consule, frequenter dux in gravissimis bellis. Huius breve imperium fuit, et quod bona haberet exordia, nisi ad severitatem propensior³³ videretur. Insidiis tamen Othonis occisus est imperii mense septimo. Iugulatus³⁴ in foro Romae sepultusque in hortis suis, qui sunt Aurelia via non longe ab urbe Roma.

6 nem fogott neki semminek sem derekasan 7 nagybátyja 8 Mainz, a Rajna balpartján a Moenus (Maina) torkolatánál 9 középszerűen 10 higgadtan 11 ostoba izléstelenséggel 12 Orkney 13 nyájas, leereszkedő 14 kisér 15 balján haladt 16 istenít, megtesz istennek 17 meggyaláz 18 kisebbít 19 rendkívüli 20 költekézés 21 biborszinű 22 ocsmány cselekedettel gyalázta meg magát 23 rokongyilkosság 24 áténged 25 gyűlöletes 26 cserben hagy 27 kétágú viliát szorítva fejére 28 korábcsol 29 mezei jóságán 30 szabadosának neve: Phaon 31 kihalt 32 jeles, kitünő 33 hajlamos 34 meggyilkol.

EX ARCHIVO LATINO HUNGARORUM

E Marci Chronicis

de gestis Hungarorum.

Graeci devincuntur per Hungaros.

(Cap. 33.)

Vicesimo autem primo anno¹ egressi, in Bulgaria intraverunt et inde Ydropolim venientes, ipsa expugnata, Constantinopolim tandem obsederunt. In obsidione igitur

¹ Pannoniában történt letelepedésük után.

urbis memoratae Hungaris constitutis,² qui-dam Graecus, sicut gygas,³ emissus de urbe, ad luctandum⁴ cum eo duos Hungaros im-petebat⁵ altercari,⁶ dicens: quod si ambos non devinceret, Graecorum imperator censu⁶ Hungaris teneretur.⁶ Qui cum Hungaris in-festus esset ultra modum; unum contrarium ei invenerunt, qui oppositus Graeco ita ait: Ego, inquit, sum Bothond, rectus⁷ Hunga-rus, minimus Hungarorum: adiungas tibi duos Graecos, quorum unus conservare de-beat animam tuam exituram, alter vero ca-daver tuum subterrandum,⁸ quia certissime censualem⁹ faciam Graecorum imperatorem genti meae. Unde capitaneus Hungarorum, nomine Opour, qui illi exercitu de commu-nitatis voluntate¹⁰ fuerat constitutus, iussit Bothond cum dolabro¹¹ suo pergere contra portam urbis, quae erat metallina,¹² et in porta declarare vires suas cum dolabro. Ve-niens autem usque portam, talem ictum et caesuram¹³ in ipsa porta fecisse perhibetur, quod puer annorum quinque per ipsum foramen exire et intrare satis large¹⁴ potuisset. Facto namque spectaculo Hungarorum et Graecorum, parata area ad certandum¹⁵ ante portam urbis, parva hora simul in unum dimicantes, Graecus in terram per Hunga-rum est detrusus et statim sine mora spiri-tum exhalavit. Quod factum et casum Grae-corum imperator, qui stabat in urbis pro-pugnaculo¹⁶ cum coniuge sua, pro ingenti verecundia reputantes, averterunt facies suas, pergentes in palatium; verumtamen, cum Hungari censem repetissent,¹⁷ pro quo cer-tamen commissum fuerat et pugnatum, dum risum faceret Graecorum imperator de censu postulato, recedentes Hungari de obsidione civitatis, depopulati sunt totam Graeciam, haurientes ex ea aurum, gemmas et armenta infinita sique ad propria¹⁸ sunt reversi. Communitas¹⁹ itaque Hungarorum cum suis capitaneis sive ducibus haec et alia huius-modi usque ad tempora Toxun²⁰ ducis ges-sisse perhibetur.

² foglalatoskodik ³ óriás ⁴ birokra kel ⁵ kíván
⁶ adófizetője legyen ⁷ igazi ⁸ elföldel, eltemet ⁹ adó-fizetőjévé ¹⁰ közakarathból ¹¹ bárdjával ¹² ércből való
¹³ rés ¹⁴ könnyedén ¹⁵ küzdötér ¹⁶ bástyáján ¹⁷ kö-vetelték ¹⁸ hazájukba ¹⁹ közössége ²⁰ Taks,

Domus aurea.

(2.)

Ad tabulam Felicis Nabor Latine scripsit Valentinus Fehér.

II. Confessio.¹

Postquam Teucer discessit, Fulvia in lecto quiescens flabellum² ventilabat.³ Fumus Vesuvii, tamquam columna argentea, se tollebat in altum, in lata valle aquae Sarni flu-minis nitebant.

Repente funetum⁴ umbraculi⁵ concrepuit. Inter densa folia caput iuvenis cincinnatum⁶ emersit.⁷

Fulvia perterrita erubuit.

— Quomodo, Pelia, — inquit — huc ve-nire ausus es? Si quis te viderit, vapulabis.⁷

— Ne me, Fulvia, dimittas — supplicat Pelias, pulcher ille iuvenis Graecus. — Ego enim, ut terra solem, te desidero. Sine me paulisper hic manere, sine me vocem tuam audire atque oculos tuos aspicere. Et si certo scirem me a te amari, maximo gaudio ex-clamarem. Tamen ego nil sum, nisi miser patris tui servus.

— Plus mihi tu es, Pelia, artifex celeber-inus, qui frigido duroque marmori vitam animamque inspirare possis. Signa tua om-nes Pompeiani admirantur.

— Quid mihi ars valet, cum non sim in mea potestate,⁸ sed id facere debeam, quod herus mihi meus imperat. Non licet mihi ad meum arbitrium laborare... Ego amo te. Sed quid hoc mihi prodest? Tu nubes Prisco, nebuloni Romano. Cur non sum ego liber?

— Tu bonus es, Pelia — inquit Fulvia, — sed paulo vehementior. Quo magis adolescens, eo gravior et quietior eris.

— Quid mihi gravitas, si tu mea non eris?

— Exspecta modo patienter.


— Verumne dicis? — exclamat iuvenis gaudio elatus.⁹ — Licetne mihi sperare?

— Licet.

— Quid Proculo, quid Prisco fiet, diviti-bus nobilibusque Romanis?

— Quid mihi cum illis?¹⁰ Equidem illos abhorreo.

¹ vallomás ² legyező ³ forgat ⁴ szölölmob ⁵ lugas
⁶ göndör ⁷ előbukkan ⁸ kikap ⁹ önálló ¹⁰ elragad-tatva ¹⁰ mi közöm hozzájuk?



— Neutri igitur nubes?

— Neutri, Pelia.

— Gratias ago tibi, Fulvia, maximas pro his verbis. Nunc iam arte mea me liberum facere conabor. Aliquid magnum fingere¹¹ volo.

— St! — ait Fulvia. — Maria venit cum servo. I, Pelia, ne quis te videat.

— Vale — ait Pelias manum Fulviae osculans.

*

Ubi via Nolana tangit viam Stabianam, erat officina, quam Rufus in sua domo Peliae instruxerat, non bono animo,¹² sed quaestus gratia,¹³ propterea quod ex artificiis¹⁴ a Pelia factis mercando maximam sibi faciebat utilitatem.

Ut Pelias domum rediit, ianuis clausis in eam partem officinae se recepit, quae velo ab altera parte separata erat. Ibi malleo¹⁵ caeloque¹⁶ arreptis laeto animo laborare coepit in signo, quod Christum, bonum Pastorem repraesentabat.¹⁷

Subito ianua pulsari copta est et aliquis voce rauca¹⁸ clamavit:

— Aperi, Pelia! Ego sum Gavius Rufus, vir Pompeis ditissimus. Cum Libero¹⁹ indulserim, ad Musam venio.

Pelias velo contracto morosus²⁰ ianuam aperuit. Rufus sudanti fronte ingreditur.

— Primum — inquit — da mihi potum aquae.

Pelias tacitus vas fictile²¹ aqua impletum hero porrigit. Postquam Rufus bibit, sobrior visus est.

— Superbus es — inquit, — Pelia. Nisi tam sollerterem²² manum haberes, iam pridem te vendidisse.

Tum Pelias bracchiis extensis herum rogat:

— Redde mihi libertatem! Sine me artem sine vi libere exercere: videbis, quam artificiosa²³ signa facturus sim. Quam pecuniam decem annis quaequivero, tibi dabo.

— Stultus es, Pelia atque etiam ego stultus essem, si te liberum dimitterem. In animo mihi est²⁴ magnum opus tibi committere.

Pelias iratus exclamat:

— Potius manus meas praecidam!

— Hoc non facies — inquit Rufus ridens. —

Sed audi, quid iubeam. Domum auream aedificabo, in qua Fulvia una cum viro suo habitabit. Teucer cras inchoabit²⁵ aedificationem. Tu vero domum auream pulcherri- mis artificiis ornabis.

— Non sumo caelum in manum! — clamat Pelias contumax.

— Sumere debes. Iam ego te cogam. Virgis te caedere iubebo. Et postquam porticus domus meae signis deorum ornaveris, clipeumi²⁶ meum exsculpes.

Pelias risum tollit.

— Ego sculpam Faunum aut caput vituli, cui tu similis es.

Rufus arrepto malleo vas aeneum²⁷ percussit.

— Venite, servi! — clamat. — Claudite ianuas. Custodite domum. Pelias ex hac hora captivus erit. Posthac eum ob verba illepidas virgis caedetis.

Tum in veste trementis Peliae pulverem marmoreum animadvertis.

— Quid laborasti — inquit, — cum ego veni? Opus tuum videre cupio.

— Et priusquam a Pelia impediri posset, distracto velo pastorem vedit agnum tenellum umeris ferentem.

— Quid significat hoc simulacrum? — quaerit Rufus.

— Hoc est — inquit unus ex servis — signum Dei eorum. Ego iam vidi Romae similem imaginem apud Nazarenos.

— Ergone Christianus es? — quaerit Rufus. — Num hic est deus? Aspice, tu Graecule canis, quid ego deo tuo faciam.

Et priusquam a Pelia impeditur, arrepto aeneo malleo caput signi ita percussit, ut marmor scissum minutum²⁸ frangeretur.

Pelias primum quasi in lapidem versus stabat. Tum magno rugitu²⁹ mercatorem arreptum atque elevatum ad parietem afflixit. Rufus ope servorum sublevatus destric tam³⁰ faciem contrectans³¹ singultat:³²

— Apprehendite furciferum!³³ vincite³⁵

¹¹ alkot ¹² jóindulatból ¹³ nyereség miatt
¹⁴ remekmű ¹⁵ kalapács ¹⁶ véső ¹⁷ ábrázol ¹⁸ rekedt ¹⁹ a bor istene ²⁰ kedvetlen ²¹ agyagedény
²² ügyes ²³ remek ²⁴ szándékozom ²⁵ elkezd ²⁶ mellszobor ²⁷ bronz ²⁸ goromba ²⁹ darabokra ³⁰ ordítás ³¹ lehorzsolt ³² tapogat ³³ hörög ³⁴ gazember ³⁵ megkötöz.

eum! Ligate eum ad tormentum³⁶ et cruentate vulneribus!³⁷

Servi, quod iussum erat, fecerunt. Pelias omnia tacitus ferebat. Rufus doloribus eius delectabatur.

³⁶ kínpad ³⁷ véresre korlácsol.



Locosa.

Magister: Qui¹ factum est, ut hodie pensum tuum mathematicum optime solutum sit?

Puer: Pater peregre profectus est.²

*

Meruistine, inquit iudex, ut rem tuam precibus tuis indulgens³ parum severe iudicem? An nunc primum in ius vocatus es?⁴

Minime, inquit reus, neque mea, sed patroni⁵ causa, qui hodie primam agat causam,⁶ a te peto, ut clementiae plenam sententiam feras.⁷

*

Iam supellex,⁸ inquit uxor, pignori capta est, iam telephonus et lumen electricum obserata⁹ sunt. Non sustineo¹⁰ sic vivere: aperiam obturamentum¹¹ gaziductus!¹²

Quanta felicitate uteris, uxor, inquit maritus, hodie iam gazometrum¹³ quoque publice¹⁴ obseratum est.

*

Evidem iam multa vos interrogavi, inquit ludorum litterariorum summus praefectus,¹⁵ agitedum¹⁶ pueri, vos quoque iam me aliquid interroge!

Mauritiolus: Quando hinc abiturus es?

*

Hoc ferri iam nequit,¹⁷ inquit hospes, de nuo in iure¹⁸ muscam deprehendi! Ipse non possum, inquit caupo, non mirari. Iam omnes me muscas ex iure extraxisse arbitrabar.

C. Ács.

¹ hogyan ² elutazott ³ engedve ⁴ vagy a törvény előtt ⁵ védőügyvéd ⁶ ügy ⁷ ítéletet hoz ⁸ bútort ⁹ lezár ¹⁰ bír ¹¹ csap ¹² gázvezeték ¹³ gázmérő ¹⁴ hivatalosan ¹⁵ tanfelügyelő ¹⁶ nosza ¹⁷ ez már türhetetlen ¹⁸ leveles.

AENIGMATA.

I.

Pomaria¹ vendidit quinquaginta duos fructus: triplo plus² malorum,³ quam pirorum et triplo plus prunorum,⁴ quam pirorum. Quot vendidit mala, pira, pruna?

II.

Quidam dominus conduxit⁵ tres operarios: primo in ternos dies se ducenos denos nummos daturum promisit, secundo in quartos dies ducenos septuagenos, tertio in binos centenos quinquagenos. Primus et secundus una⁶ mille quadringentos quadraginta nummos acceperunt, primus et tertius una mille trecentos octoginta, secundus et tertius mille quingentos sexaginta. Quot dies singuli laborabant?

¹ kofa ² háromszor annyi ³ almát ⁴ szilvát ⁵ fel fogadott ⁶ együtt.

III.

1, 2, 3, 4, 13 = insula et oppidum est Cycladum.

6, 12, 8, 14, 17 = quae dea habita est Romanis, constantiae dictorum, servandi promissi praeses.

5, 7, 20, 15 = tegumentum capitum est Lydorum.

11, 10, 19, 18, 5, 16, 2 = aerumna, calamitas, qua homo angitur et fit miser.

11, 9, 13, 17, 7, 19 = collectio frumenti et aliarum segatum.

1-20 = sententia Sallusti.

=====

Solutiones aenigmatum numeri I.

I. Series directae: 2. Midaeum, 4. colo, 5. braca, 7. colum, 8. Bias, 9. baca, 11. pera, 12. locator. — Series libratae: 1. undae, 2. Milo, 3. umbra, 4. columba, 6. Cabira, 10. calo, 11. petor, 13. Capys. — II. 20, 12, 300.

Aenigmata recte dissolverunt: Ludovicus Bakay, Magdalena Fajcsák, Livia Gaál, Rudolphus Kancz, Stephanus Lukács, Andreas Pózner, Paula Szilassy. — Praemium Ludovico Bakay sorte adiudicatum est.

=====

Moderator ephemeridis EUGENIUS FRAY DR.

Budapest, I., Verpeléti-út 22.,
ad quem epistulae et manuscripta mittantur.

Administratio ibidem.

Sumptibus Societatis Magistrorum Intermedi-scholarium Catholicorum. — A Katholikus Középiskolai Tanáregyesület költségén.

(Praeses: IOANNES KISPARTI DR., elnök.)